



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. III. De Consistoriis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](#)

C A P U T III.

De Consistoriis.

**C**onsistorium generali acceptione quævis Congregatio, in qua homines pro publicis negotiis simul consistunt, nuncupari potest. Hic vero significat Congregationem, quam celebrat Pontifex cum Collegio Cardinalium in Palatio suo Apostolico per modum Senatus majoris. Habentur quidem in eadem Curiâ cum Cardinalibus aliæ Congregationes, ut sunt S. Officii, Signaturæ gratiæ, Examinis Episcoporum, aliæque, sed hæ Consistoria non dicuntur, verum sibi sunt nomina à rebus, quæ in iis tractantur.

Consistoria, de quibus hic agimus, alia sunt extraordinaria magisque solennia, ad quæ præter Cardinales admittuntur quoque Prælati ac Ministri, atque etiam Principum Oratores & Magnates quæ *Publica* dicuntur. Alia sunt ordinaria, & minus solennia, ad quæ soli Cardinales pro negotiis tractandis admittuntur, & *Secreta* appellantur.

§. I.

De Consistoriis Secretis,

I. *Consistorium Secretum quando habeatur.*

2. *Quæ*

- 128 *De Consistoriis secretis.*  
2. *Quæ in eo tractentur.*  
3. *Indicitur per Cursores.*  
4. *Ipsò die Sacerdotes celebrare, reliqui communicare solent.*  
5. *Ideoque sub principium Consistorii non oratio.*  
6. *Quo habitu vadant Cardinales ad Consistorium.*  
7. *Quo habitu accedit ad Consistorium S. Pontifex.*  
8. *In Consistorio adhuc januis apertis admittit Pontifex ad alloquium Cardinales.*  
9. *Clauso Consistorio consistunt Cardinales.*  
10. *Serovenientes accedunt ad locum suum.*  
11. *Plura vota concludunt.*  
12. *Olim Cardinales promovebantur in quatuor temporibus.*  
13. *Et quis tum modus observatus fuerit.*  
14. *Quo modo nunc crecentur.*  
15. & 16. *Præsentes in urbe accipiunt statim biretum, & visitant Consanguineos Papæ.*  
17. *Absentibus mittuntur literæ de promotione factâ.*  
18. *Et biretum per Camerarios Papæ.*  
19. *Hi intra annum accedere debent ad Urbem.*  
20. *Quo habitu veniant.*  
21. *Ubi venerint Romam introducuntur à Canepote ad Papam.*  
22. *Deinde visitatis Consanguineis Papæ se continent domi usque ad Consistorium publicum.*

23. p

De Consistoriis secretis. 128

23. Post quod clauditur illis in Consistorio secreto os.
24. Per hoc tamen non amittunt facultatem eligendi Pontificem.
25. In altero deinde Consistorio aperitur illis os, & conceditur Titulus cum annulo.
26. Pro juribus hujus annuli dantur 500. Ducati de Camera.
27. Hæ Cærimonie quandoque etiam fiunt in Congregationibus.
28. Creantur in Consistoriis secretis Legati de Latere.
29. Cum Consilio Cardinalium.
30. Qui solenni equitatione deducuntur.
31. Quando hi uti possint insignibus & iuribus suis?
32. Quæ sint eorum insignia?
33. & 34. Quomodo intrent civitates & oppida?
35. Nominantur etiam in his Consistoriis Gubernatores.
36. Committitur illis Legatio per Breve.
38. Et proponuntur Präfules.
39. Tam in partibus, quam habentibus jurisdictionem.
40. Präfules in partibus solo mutu promoventur.
41. Reliqui prævio examine in Italia.
42. Ponens proponit Ecclesiam vacantem, & electum.
43. Qui mittit Summarium processus ad Cardinales.



44. In secundo Consistorio confertur Ecclesia  
aut confirmatur Electio.  
 45. Aliquando ipse Pontifex personam proponit.  
 46. Promotus vestitur habita Episcopali.  
 47. Et accipit rochettum à Pontifice.  
 48. Ac visitat sacrum Collegium, aliosque.  
 49. Conferuntur Monasteria Consistorialia  
Coadjutoriae.  
 50. Solvitur matrimonium spirit. inter Prae-  
ludem & Ecclesiam.  
 51. Fiunt erectiones, divisiones & uniones  
Ecclesiarum.  
 52. Et agitur de gravioribus negotiis.  
 53. Pro quibusdam instituitur Congregatio statu.  
 54. Præmittitur etiam Congregatio Consistorialis.  
 55. In quibus omnia contentiosa examinantur  
priusquam in Consistorio proponantur.  
 56. Et alia majoris momenti.  
 57. Qui intrent Consistoria secreta. ?  
 58. De Advocatis Consistorialibus.

I.

**C**onsistorium secretum olim bis su-  
gulis septimanis habebatur. Vestrum  
l. i. c. i. nunc rarius pro exigentiâ nego-  
tiorum, & voluntate Pontificis; Odinariè vero bis in mense, feriâ secundum  
tempore matutino; Si dicta dies impe-  
dita sit, vel necessitas sic postulet, ha-  
betur alterâ die, & quandoque etiam  
post prandium.

2. I.

2. In hoc Consistorio creat Pontifex novos Cardinales, eisque os claudit & aperit. Nominat Legatos de Latere, & tradit illis signum Crucis. Constituit Legatos Urbium & Provinciarum, nimurum: Avinionensis in Gallia, Bononiensis, Ferrarensis, Romaniæ, Marcæ Anconitanæ, Umbriæ, Ducatus Urbini, Patrimonii S. Petri, Campaniæ, Maritimæ, & Sabinæ. In Consistoriis quoque secretis electi ad vacantes Ecclesiæ Episcopales, Archi-Episcopales, Metropolitanas & Patriarchales proponuntur, & instituuntur, si electio per speciale privilegium ad Capitulum, Communitem, Regem, aliumvè pertineat; Alias ad supremas has Prælaturas tanquam reservatas per Reg. 2. Cancelleriæ Innocentii XII. à Pontifice, & sacro hoc Senatu apti eliguntur. Hæc reservatio ad certa quoque Monasteria extenditur, quæ in eodem hoc Consistorio conceduntur, aut commendantur, ideoque *Monasteria Consistorialia* dicuntur. Demum in Consistoriis secretis tractantur omnia, quæ ad cultum DEI, Religionem, pacem publicam Christianorum, & ad conservationem etiam temporalis patrimonii Ecclesiæ Romanæ pertinent.

I 2

3. De-

3. Denunciantur Consistoria, ut & Capella & Congregationes coram Pontifice habendæ Cardinalibus per Cursores vestitos talari violacea, qui statim ac veniunt tanquam missi à Papâ admittuntur. Admissi genibus flexis, ac vigam nigram, quam manu gestant, tenentes erectam ante Cardinales commissionem lingua latinâ exponunt, exprimendo diein, horam & locum Consistorii vel Congregationis habendæ, quan illi excipiunt tecti bireto, quod depnunt, cum Cursores sermonem absolvunt, & discedunt. Si fortè Cursores veniant, dum accumbunt mensæ Cardinals, datur & ipsis lauta refectio.

4. Indicta ergo die pro Consistorio habendo, quilibet Cardinalis, si Sacerdoti, celebrare Missam, alii verò Sandaliis & Eucharistiâ se reficere, aut saltem audito Sacro se colligere, atque Spiritu sancti opem implorare solent.

5. Hinc sub principium Consistorium nullâ peculiaris oratio ad implorandam divinam gratiam, quemadmodum aliis Cardinalium & Prælatorum Congregationibus religiosè servatur, palam præmittitur.

6. Quando se conferunt Cardinale ad Consistorium tam publicum, quar

secre

secretum, utuntur Cappa ex Ciambel<sup>t</sup> lotto undulato, seu materiâ ex pilis Ca- meli contextâ coloris, qui tempori con- formis est. Præfertur illis (quemadmo- dum semper, quando Cappa utuntur, excepto die Veneris sancto, & cum in- tersunt concioni in Palatio Apostolico) ab uno è Camerariis *la Mazza*, seu cla- va in signum præminentis dignitatis.

7. Cum pervenerint ad locum, in quo celebratur Consistorium secretum, præ- stolantur adventum Pontificis, qui ac- cedit ad Consistoria tam publica, quam secreta, excepto primo secreto, ut dice- tur, vestitus habitu suo privato, hoc est veste talari alba, quam *subtanam* vocant & Rochetto, deinde rubri colo- ris mozettâ, bireto, stolâ, & calceamen- tis cruce ex auro acu pietâ insignitis; Estque hic habitus pro differentia tem- poris vel ex serico, vel ex lana, & vel fultus pellibus armellinis, vel sine pelli- bus. A Sabbato sancto verò usque ad Sabbathum in albis inclusivè utitur mo- zettâ & bireto ex serico Damasco al- bo, pellibus albis armellinis circumful- tis. In primo Consistorio secreto post assumptionem suam utitur Papa pluvia- li & mitrâ, in quo gratias agit Sacro

Collegio, quod se elegerint in Pontificem.

8. Postquam deportatus est Pontifex ad Consistorium secretum consideret in sede aureo peristromate tectâ, sed duabus solum gradibus altiore sedilibus Cardinalium, quæ sine aulæis tintæ solum sunt rubro colore applictis Papæ insignibus. Deinde usque dum omnes, vel plerique præsentes sint, vel quamdiu ei placuerit januis apertis admittit ad privatum alloquium Cardinales ordine antiquitatis, qui stantes detectis capitibus & manibus decenter ante se compositi summâ cum reverentiâ negotia cum suâ Sanctitate tractant.

9. Finitâ hac audienciam obseruat Consistorium, & considerant Cardinales locis suis ordine antiquitatis in sedilibus & Cappis suis contegunt Rochettum. Ultimi Cardinalis Diaconi est signum dare campanula, cum res postulat, aut advocatur Secretarius, aliive ministri, qui in aulâ proximè vicinâ expectant.

10. Si quis Cardinalis inchoato jam Consistorio accedit, is factâ profundâ Pontifici reverentiâ, & salutatis capitâ inclinatione Cardinalibus, qui interim stantes eum resalutant, accedit ad locum suum.

VI. Ne

11. Negotia, quæ proponuntur, auditis collectisque Cardinalium suffragiis ex pluralitate à Pontifice decernuntur.

12. Inter cætera, quæ in Consistoriis secretis tractantur, facilè illud præcipuum est, quod novi creantur Cardinales. Modus vero nunc aliis est, quam fuerit antiquitus; Nam licet Pontifex plenam & omnimodam habeat potestatem creandi Cardinales, quando & quos voluerit, ac idoneos judicaverit, nihilominus tamen olim non nisi in quatuor temporibus ad imitationem Sanctorum Patrum tales promotiones fieri solebant.

13. Modus erat ejusmodi: Proponebat Pontifex Cardinalibus rationes & causas, quibus ad novos creandos Cardinales movebatur, & singulorum Sententias exquirebat; Si major pars sacri Collegii assentiretur Pontifici, agebatur de numero promovendorum, si & in eo convenirent, injungebat Pontifex Cardinalibus, ut dispicerent, qui idonei essent ad talem dignitatem. In secundo Consistorio secreto declarabat Pontifex nomina eorum, quos ipse dignos promotione judicaret exponendo merita singulorum, & justas magnitudines

rum Principum commendationes, quos major deinde pars Cardinalium dignoscerebat, pronunciabantur à Papa Cardinales.

14. Nunc unico Consistorio expediuntur omnia: Pontifex enim sub initium vel, ut frequentius, sub finem Consistorii recitat singulorum nomina ordinis dignitatum, quos promovere ad Cardinalatum statuit, dicitque Cardinalibus, hoc Fratres habeant, & interrogat, quid ipsis videatur, eisque promotionem approbantibus fit decretum, quod illoco promulgatur extra Consistorium. Quandoque tamen Pontifex exprimit solum numerum promovendorum, non omnium nomina, sed aliquorum reservat, ut dicunt, in pectore, quæ deinde pro libito ipsius in alio Consistorio publicantur.

15. Publicatione factâ accipiunt præsentes in Urbe statim à Pontifice biretum, quod dupli modo fieri observasse testatur Hieronymus Lunadorus *in relat. sua*, qui multis annis in Curiâ Romana Secretarii Memorialium, & Legationum, aliisque officiis perfunctus est. Velenim promovendi pridie per Cardinalem Nepotem præmoniti sunt, & tunc facta promotionis decreto statim in Consistorium advocantur, & Pontifex prostra-

tis in genua ad pedes suos imponit Biretum rubrum dicendo singulis: *Esto Cardinalis*, & format super eos signum Crucis.

16. Vel formato decreto tradit Pontifex schedulam, in qua descripta sunt nomina Cardinali Nepoti; Hic deinde dissoluto Consistorio mittit Praefectum Cameræ cum rhedâ suâ, ut eos ubicunque in Urbe repertos deducat ad anticameram suam, ubi corona illis tonetur, & vestiuntur habitu Cardinalitio coloris violacei. Veste, quibus induiti fuerunt, cedunt Cubiculariis Card. Nepotis, & Tonsori dantur pro honorario 25. scuta. Subinde reficit Cardinalis Nepos novos hos Cardinales prandio, quo finito deducit eosdem ad Pontificem, à quo genibus flexis accipiunt biretum. A Papâ dimissi visitant Consanguineos Pontificis utriusque sexus in habitu Cardinalatio, quo facto continent se domi usque ad Consistorium publicum.

17. Si quis ex nominatis Cardinalibus absens sit, & Romæ non commoretur, mittuntur ei literæ à Papa, vel Cardinali Nepote per expressum Curforem, quæ illum de promotione certiorem reddant. Quo nuntio accepto curat sibi statim tonderi pro more coronam Cardina-

dinalitiam, & vestit se habitu Cardinalitio coloris violacei, non rubri, nisi post acceptum Biretum, scribitque se Cardinalem.

18. Biretum rubrum ad absentes defert aliquis e Camerariis Summi Pontificis, imponiturque novo Cardinali i Templo post auditum Sacrum à Nuncio Apostolico, si talis ibi commoretur, vel eo absente ab Imperatore, Rege, Archi Episcopo, vel Episcopo loci.

19. Cardinalis vero absens creature conditione, ut intra animum in Curia Romanâ se præsenteret, ideoque juraret coram aliquo in dignitate Ecclesiasticâ constituto, priusquam Biretum rubrum capiti ejus imponatur, se int̄ annum ad Urbem, vel ubi Pontifex fuerit, venturum. Si jurare detrectet, Biretum negatur cum privatione honoris Cardinalitii. Si autem præstito jureamento, & accepto Bireto emanserit, pariter privatur Cardinalatu, & Biretum deponere tenetur. *Sixtus V. Const. 50. Postquam verus.*

20. Cum Romam proficisciatur novus Cardinalis accepturus galerum, incedit habitu Cardinalis viatorio coloris violacei gestans pileum ordinarium ornatum auro & serico rubro. Cum Urbi ap-

pro

propinquat, mittuntur illi ob viam thedæ  
à Cardinalibus, ac in primis Cardinale  
Nepote regnante, cuius curru vehitur ad  
Palatium Apostolicum.

21. Introductus ad Conclavia Suæ  
Eminentiae, præmissis honoris officiis,  
& formatâ per Tontorem coronâ Car-  
dinalitiâ deponit habitum viatorium,  
assumitque talarem cum rochetto, & sic  
introducitur à Cardinale Nepote ad Sum-  
mum Pontificem; Ad cuius conspectum  
cum venerit, factis pro more tribus ge-  
nusflexionibus osculatur pedes ejusdem,  
manus & genas, agitque gratias pro di-  
gnitate sibi collatâ.

22. Dismissus à Pontifice deducit Car-  
dinalem Nepotem ad ejus Conclave, &  
repetitis gratiarum actionibus discedit vi-  
sitatum per Urbem Consanguineos Sum-  
mi Pontificis, quo facto continet se do-  
mi usque ad Consistorium publicum, nec  
nisi privatas admittit visitationes.

23. Post Consistorium publicum in  
primo subinde secreto clauditur à Pon-  
tifice os novo Cardinali consuetis Cæ-  
remoniis, inhibeturque ne votum, vel  
sententiam suam in Consistoriis & Con-  
gregationibus edicat. Hinc ante tem-  
pora Pii V. per hunc actum privabatur  
voce activâ & passivâ in electione Pon-  
tificis

140 In Consistoriis secretis.

tificis Sede vacante, nisi Collegium Ca-  
dinalium in hoc dispensasset.

24. Verum à Pio V. decretum est edi-  
tum 26. Januarii 1571. quo declaravi  
hujusmodi oris clausuram esse Cæremoni-  
iam quandam eâ de causâ introductam  
ut Cardinales, antequam in Consistoriis  
& Congregationibus suffragium ferant  
de modestiâ ab ipsis adhibendâ admis-  
sionantur, non autem impedire, vel ligare  
facultatem eligendi Pontificem. Greg. XI  
*Const. 19. Decet Romanum.*

25. In secundo deinde, vel tertio Con-  
sistorio secreto aperit os Pontifex novi  
Cardinalibus, eisque concedit Titu-  
lum. Os aperit dando illis facu-  
tatem his verbis: *Aperimus vobis* tam in collationibus, quam in Consilii  
atque in electione Summi Pontificis, in omnibus actionibus, tam in Con-  
sistorio, quam extra, in nomine Patris &  
Titulum vero assignat eis in aliquâ Ur-  
bis Ecclesiâ, eosque despontat inter reno-  
digitis annulum aureum cum Saphir  
dicendo: *Ad bonorem Sanctorum Apo-*  
*stolorum Petri & Pauli, Sancti N. com-*  
*mittimus tibi Ecclesiam S. N. cum Cl-*  
*& populo &c.*

26. Pro iuribus hujus annuli Cardi-

nalitii quisque dare debet 500. du-  
catos de Camera , præsentes qui-  
dem statim pòst electionem, à Curiâ ve-  
ro absentes post susceptionem Bireti ru-  
bei. Quam pecuniam Gregorius XIII.  
olim donarat Collegio Germanico in  
Urbe, sed eam illi à Sixto V. ademptam  
applicavit postea Gregorius XV. in *Const.*  
*Romanum docet* Congregationi de propa-  
ganda fide.

27. Supradictæ verò Cæremoniæ cum  
novis Cardinalibus fiunt quandoque  
etiam in Congregationibus, quibus pars  
major Cardinalium interest.

28. Creantur deinde in Consistoriis se-  
cretis Legati de Latere ex consilio Cardi-  
nalium. Quamvis enim quicunq; Summo  
Pontifici visus fuerit idoneus, eligi ab eo  
possit Sedis Apostolicæ Legatus, in Le-  
gatis tamen de Latere mittendis consi-  
lium Cardinalium requirere consuevit.  
arg. c. Novit de his quæ fiunt à Præl. idque  
hoc modo :

29. Pontifex Senatu Patrum Purpu-  
ratorum convocato inquirit an & qui ab-  
legandi videantur. Qui nominati fuerint,  
è Consistorio exeunt, & postquam à ma-  
jori parte Senatus approbati sunt, revo-  
cantur, de munere suo à Pontifice edocen-  
di. Illi perceptâ commissione, acquiescunt  
non

non suo magis, quam aliorum de se judicis  
confidentes. Tum pedes manusque Pon-  
tificis osculantur, atque etiam ad oscu-  
lum pacis admittuntur.

30. Ubi interjecto tempore disce-  
dendum est ad Legationem, Patres iterum  
in Consistorium secretum convocantur  
quo finito Legati à sacro Collegio solen-  
ni equitatione deducuntur usque ad por-  
tam civitatis, Angelicam quidem,  
Consistorium fuerit in Vaticano, si vero  
id celebratum sit in Quirinali, seu Monti  
cavallo, usque ad portam Flaminiam.  
Legati, ultimi in ordine, medii inter duo  
primos Diaconos incedunt. Ad portan-  
cum pervenerint, pace gratisque vici-  
sim impertitis Cardinales recedunt,  
Legati iter suum prosequuntur. Isti hun-  
in modum deducti, nec comparere am-  
plius palam in Urbe, nec dare aut reci-  
pere visitationes publicas possunt, se-  
ut primum licuerit, conferre se ad Lega-  
tionem suam tenentur.

30. Non possunt vero Legati à Later-  
ad Provincias suas discedentes erigere  
crucem, aut dare benedictionem prius  
quam egressi fuerint extra districtum ci-  
vitatis, hoc est dissiti sint ab Urbe 4  
miliaria, quo usque districtus hic protec-  
ditur, atque tunc cæteris quoque insigni-

bus & juribus, quæ ipsis tantum conve-  
niunt, uti poterunt.

32. Insignia sunt: Toga talaris purpu-  
rea cum veste byssimâ superiori, Palæfre-  
dus albus, frænum & calcaria deaurata.

33. His insignibus ornati intrant civi-  
tates & oppida sub pallio, quos Clerus  
& populus solemni supplicatione, & pom-  
pâ excipiunt. Archi-Episcopi, & alii  
Legati minores Crucem sibi præferri so-  
litam deponunt. *c. Antiqua de privil. Barb.*  
*Jur. Eccl. l. c. 5. n. 22. & seq.*

34. Ingredientes civitatem suæ Le-  
gationis viâ uti ordinariâ, & consuetas  
cæremonias servare debent. *Gamar. l. 1.*  
*tr. de potest. Leg.* & antequam hospicium  
subeant, Cathedralem vel primariam  
Ecclesiam intrant, & populo benedicunt.

35. Nominantur præterea à Pontifice,  
ut diximus num. 2. in Consistoriis secretis  
Legati, quibus certæ civitates, vel Pro-  
vinciæ Sedi Apostolicæ in temporalibus  
subjectæ, committuntur gubernandæ,  
in quibus vices Pontificis gerunt, & or-  
dinariam habent jurisdictionem. *c. Lega-*  
*tos de Offic. Leg. in 6.* proindeque pollent  
plurimum tam in rebus Ecclesiasticis,  
quam in iis, quæ concernunt justitiam.  
Armorum tamen & præsidiorum curam  
non habent, sed ea demandata est quibus-  
dam ex Nobilitate.

36. Committitur illis Legatio per breve Apostolicum ad triennium, quæ tamen pletumque, si ita desiderent, prorogatur. Non deducuntur vero cum ceremoniis, & equitatione solenni, sed adeunt Provincias suas, cum commodum illis fuerit, fruunturque Titulo, & emolumentis Legatorum, etiam dum Romæ subsistunt.

37. Mittuntur etiam à Pontifice frequenter & ordinariè non Cardinales, sed hi non Legati, sed Nuncii dicuntur, atque olim græcè Apocrisarii, quasi Secretari dicebantur. *Glos. c. Significasti de elect. Et Septuaginta dist. 16. de quibus actum est. I. §. II.*

38. Adhæc proponuntur, aut eliguntur in Consistoriis secretis Episcopi Archi-Episcopi, sicutque provisiones Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium de Prælatis, seu Pastoribus idoneis.

39. Hæ provisiones vel sunt Ecclesiarum titularium tantum absque Residencia, & administratione, ut sunt earum quæ occupantur ab Infidelibus, hereticis vel schismaticis; Vel est Ecclesiarum habentium actualem jurisdictionem, & administrationem in Diœcesi Catholica.

40. Pri-

40. Primæ provisiones fiunt solo nutu Pontificis, quo confertur tantum hono-  
rifica quædam præminentia constituens  
personam in ordine pontificali absque  
exercitio pontificalium jure proprio ipsi  
competente.

41. Alteræ provisiones fiunt prævio  
examine pro Ecclesiis Italiæ, & Insula-  
rum adjacentium, de quo infra in capite  
de Congregatione pro examine Episco-  
porum, sive promovendus electus sit à  
Pontifice, sive à Capitulo, sive nomina-  
tus à Principe.

42. In his ergo provisionibus præmisso  
examine, & formato processu consue-  
to de vita, moribus, legitimis natalibus,  
ætate, gradu, atque etiam de statu Epi-  
scopatus, Cardinalis Ponens in primo  
Consistorio proponit Ecclesiam vacan-  
tem, & ad eam electum aut promo-  
vendum.

43. Die deinde præcedente Consisto-  
rium secundum mittit Cardinalis Ponens  
Summarium formati processus ad singu-  
los Cardinales, ut videre possint, si quid  
forte sit opponendum.

44. In ipso vero secundo Consistorio  
exponit brevibus idem Cardinalis Ponens  
latina lingua contenta processus, quo  
facto conuersus Pontifex ad Decanum

K Col-

Collegii quærit, an quid occurrat in contrarium opponendum, quo surgente & negante, si id ipsum quoque negat. Cardinalis Ponens Pontifex decernit, & confert Ecclesiam ei, qui propositus fuerat, aut confirmat electionem ab habentibus potestatem eligendi factam. Cardinalis Vice-Cancellarius concipit Decretum describitque in schedulam, quo ipsum quoque facit Card. Ponens subscripto nomine suo, & apposito sigillo, e quibus deinde schedulis formantur Bullæ Apostolicæ.

45. Nonnunquam etiam ipsemet Pontifex personam aliquam conspicuam, & notæ qualitatis proponit, atque tunc si nil opponatur, nullâ aliâ factâ inquisitione, fit decretum.

46. Promotus, si Romæ sit præsens eodem mane, quo propositus fuit, vestire se debet habitu Episcopali violaceo eum pileo nigro, spirâ & limbo viridi ornato; Deinde conserre se ad Palatium Apostolicum, & in Camera Cardinali Nepotis curare sibi coronam fieri Episcopalem.

47. Qua factâ ascendit ad Anti-Cameram Pontificis, ibique expectat, usque dum finito Consistorio revertatur Pontifex ad Conclave suum, ad quem deinde deducatur.

deductus à Magistris Cæremoniarum admittitur ad osculum pedis, & imponit illi Pontifex manibus suis rochetum, quo uti Episcopi consueverunt. Ex Ordinibus Religiosorum promoti, cum non utantur rochetto, osculantur solum pedes Pontificis, ac gratias agunt.

48. Postea novus Episcopus visitat sacrum Collegium, ac primo loco Decanum, deinde cœreros sine ordine, prout occurunt. Post illos Gubernatorem Urbis, Auditorem Cameræ, Thesaureum generalem, & Datarium, à quo curat sibi dari literas patentes pro Alternativâ, priusquam ad Episcopatum suum discedat.

49. Conferuntur quoque Consistorialiter Monasteria quædam regularia, quæ propterea Consistorialia nuncupantur; Atque etiam Coadjutoriæ tam Cathedralium & Metropolitanarum, quam Monasteriorum Consistorialium.

50. Dissolvitur etiam in Consistorio Matrimonium spirituale inter Præfulem & Ecclesiam seu Cathedralem, seu Metropolitanam ob dimissionem liberam, velob translationem ad aliam Ecclesiam, prævio tamen examine, ex quibus causis hujusmodi dissolutio petatur,

§ 1. Novæ quoque erectiones Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, dismembrationes, divisiones & uniones earundem Ecclesiarum in Consistoriis secretis fiunt.

§ 2. Demum in his Consistoriis agitū de gravioribus Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis, vel Principum, tam temporalibus, quam spiritualibus negotiis, juxta eorundem qualitatem & circumstantias.

§ 3. Cum vero non expedit semper de quibuscumque negotiis coram omnibus Cardinalibus agere, solet nonnunquam Pontifex instituere particularem quorundam Cardinalium Congregacionem, quam *Status* vocant, pro particularibus quibusdam negotiis, eamque non stabilem, sed quæ pro libitu Pontificis & pro negotiorum qualitate, & tempore exigentiâ mutetur.

§ 4. Porrò cum in plerisque actibus Consistorialibus oppositores se offerant qui in contrarium quædam contentiones proponant, ne altercatio hæc in ipso Consistorio contra majestatem ejusdem fiat, erecta est Congregatio quorundam Cardinalium & Prælatorum, quæ *Consistorialis* dicitur, & est quasi Consultrix

CON-

Consistorii, in qua ventilantur materiæ auditis partibus opponentibus in formâ contentiosâ juxta stylum Congregatio-  
num Cardinalitarum, priusquam in Consistorio proponantur.

55. Examinatur vero exactè inter cæ-  
tera, si agatur de Ecclesiarum unionibus,  
divisionibus, seu dismembrationibus, no-  
visq; erectionibus, an justæ subsint causæ,  
& adsint ea, quæ de necessitate requi-  
runtur.

56. Examinatur quoque in eadem Congregatione an electio Prælatorum facta à Capitulis, & Monasteriis valida fuerit & canonica. An in concessione Coadjutoriæ justæ causæ, aliaque requi-  
sita habeantur. An, cum nominati sunt à Principibus & Universitatibus Canoni-  
ci ad Cathedrales seu Metropolitanas Ec-  
clesias hoc jus nominandi eis competat.  
An causæ sint sufficientes, ob quas Epi-  
scopus deferere Ecclesiam suam deside-  
rat.

57. Ad Consistoria secreta nemo præ-  
ter Pontificem & Cardinales admittitur.  
Intrant tamen quandoque Secretarius  
& Clericus Nationalis; Verum cum di-  
citur: *Extra omnes egrediuntur & ipsi,*  
*manentque in vicinâ Camerâ usque dum*

150 *De Consistoriis publicis.*

signum detur campanulâ ab ultimo Cardinali Diacono.

58. Admittuntur etiam nonnunquam Advocati Consistoriales, cum nimis pallia pro novis Archi-Episcopis postulant, eique qui pro Pallio sollicitat, dantur ab Archi-Episcopo decem ducati de Camera. Sunt vero Advocati Consistoriales duodecim, & omnes nominantur à Pontifice; Singuli ex septem primis habent redditum annum sexcentorum scutorum, reliqui trecentorum Officium eorum est, præterquam quod petant pallia nomine Archi-Episcoporum in Consistoriis secretis, perorare in Consistoriis publicis, prout infra dicetur. Hi collegialiter congregati in Scholis publicis, alla Sapienza, crebre possunt Doctores utriusque Juris.

Hieron. Lunadorus, Franc. Sestini. Clau Vavre in descr. Car. Rom. de Luca Rel. Rom. Cui dis. 5. &c.

§. 2.

*De Consistoriis publicis.*

1. Quas ob causas habeantur Consistoria publica
2. Novus Cardinalis, cui imponendus est pileum quomodo vestiatur.
3. & 4. Si peregrè venerit instituitur ob eum solennis equitatio.

5. Po

5. Post quam eunt Cardinales ordine ad locum Consistorii.
6. Et una cum Summo Pontifice confident.
7. Tum introducitur Cardinalis novus.
8. Et itur ad Capellam Sixti, ubi præstat confitum juramentum.
9. Se observaturum Constitutiones Pii V. Sixti V.  
Innocentii X. & Innocentii XII.
10. Quo facto revertuntur ad locum Consistorii,  
ubi novo Cardinali imponitur à Pontifice pileus.
11. Novus Cardinalis actis gratiis cæteris manet  
in prandio apud Card. Nepotem.
12. In Consistoriis publicis præstant Legati Regum obedientiam.
13. & 14. In horum gratiam instituitur solennis equitatio.
15. Legatus introducitur in Consistorium à duobus Cardinalibus Diaconis. Pontifex signat in eo commissiones causarum, & advocate Consistoriales perorant.
16. Canonizationi Sanctorum præmittitur etiam Consistorium publicum.
17. Dat quoque Pontifex publicas audienceas.

I.

**Q**uartuor potissimum ob causas haberi solet Consistorium publicum. Primo cum novo Cardinali imponitur à Pontifice galerus Cardinalius. Deinde in adventu

ventu novi Oratoris cujusdam Principi  
ad Summum Pontificem destinati. Ter-  
tiò in reditu Legati à Latere à sua lega-  
tione. Quartò cùm pro Canonizatione  
alicujus servi DEI publicè vota exqui-  
runtur.

2. Cum imponendus est novo Cardi-  
nali galerus Cardinalitius, mane ante  
Consistorium Cardinalis novus, si Ro-  
mæ existens creatus sit, recta vehitur  
ad Vaticanum, si autem peregrè vene-  
rit, confert se ad Cœnobium S. MARIAE  
ad portam populi vestitus habitu Car-  
dinalio vel rubro, vel violaceo coloris  
nimirum convenientis tempori cum cap-  
pa violacea ex serico undulato, & si Epi-  
scopus fuerit, pileo nigro viridi suffulta  
tectus.

3. Ob Cardinalem novum, qui pere-  
gre venit, instituitur soletinis equitatio  
à Monasterio propè portam Populi, usq;  
ad Palatium Pontificium, in quo Consi-  
storum celebratur. Quare excipit hic  
indutus cappa singulos ad summitatem  
graduum dicti Monasterii, deducitque ad  
conclave, in quo colligi solent Cardi-  
nales dando illis in omnibus primas; Si  
interim forte adveniat aliis, ut frequen-  
ter assolet, præmissis urbanitatis indi-  
ciis relinquit priorem, quem interim co-  
mita-

mitatur Magister aliquis Cæmoniarum,  
vel Præfctus Aulæ, & excipit deducit-  
que advenientein.

4. Congregatis Cardinalibus, qui equi-  
tationem præsentia sua honorarunt, ut  
primum accedit Cardinalis Nepos, de-  
scendunt ad atrium Monasterii, & tegen-  
tes caput Caputio cappæ, ac pileo rubro  
Cardinalitio ordine antiquitatis con-  
scendunt mulos proceduntque, ultimo  
loco medius inter duos Diaconos Car-  
dinalis novus.

5. Postquam ad Vaticanum descende-  
runt Purpurati, eunt ad Cameram, ut  
vocant, paramentorum, novus vero se  
recipit ad Capellam Sixti. Cum Ponti-  
fex paratus est, præcedunt eum Cardi-  
nales bini & bini ad locum Consistoriï  
publici, quæ est aula Palatii Apostolici  
major; Ipse post crucem, quæ præfer-  
tur, sequitur cum amictu Pontificali.

6. Postquam consedit sub throno emi-  
nente quatuor graduum altitudine in  
scabello aureo peristromate tecto, resi-  
dent quoque præmissâ pro more reve-  
rentiâ Cardinales Episcopi & Presbyteri  
ad dextrum latus, ad sinistrum Diaconi  
in sedibus purpurâ instratis. Archi-Epi-  
scopi, Episcopi, Protonotarii, omnes-  
que Prælati in tribus gradibus throni  
ponti-

154 *Imponitur Card. novopileus*

pontificalis sedent cum Auditoribus Rotæ, Clericis Cameræ, & Acoluthis. Iatus Pontificis Nepotes aliique magni nominis Principes occupant. Inter thronum & murum à dextrâ Legati Regum, à sinistrâ familiares Papæ & Nobiles consistunt. Post Cardinales Presbyteros & Diaconos locum habent Advocati Consistoriales. Post Cardinales Episcopi vero Procurator Fisci, & Procuratores Regum, Principum & Ordinum. Ante Cardinales Diaconos juxta Papam sedent Magistri Cæremoniarum, & Sacri Palati infra Cardinales Presbyteros.

7. Hoc ordine omnibus considentibus introducitur ad Consistorium novus Purpuratus per duos Cardinales Diaconos qui cum intrat, ter pro more genuflectit ad ostium, in medio, & ad solium, osculaturque pedes Pontificis, & admittitur etiam ad osculum manus & oris. Deinde circumeundo omnibus Cardinalibus incipiendo ab antiquiore, dat osculum pacis.

8. Finita hac Cæremonia Musici intonant Hymnum Ambrosianum, & Cardinales ordine consueto bini & bini eunt ad Capellam Sixti, in qua in circulo consistunt ad Altare. Ultimus accedit Cardinalis novus, genuflectit in pede Alta

Altaris, & dum cantatur versiculus:  
Te ergo, imposito prius capiti cappæ ca-  
putio se prosternit, manetque eo in situ  
usque dum finitus sit Hymnus, & Deca-  
nus Collegii stans ante Altare ad partem  
Epistolæ, dixerit sacras quasdam oratio-  
nes. Deinde erigit se Cardinalis novus,  
demittitque caputum, Decanus verò  
assistentibus primo Presbytero, primo  
Decano, ac Cardinali Camerario, dum  
cæteri ad sedendum eunt, porrigit illi  
Constitutiones aliquas legendas, quibus  
lectis juramentum præstat, se omnia in  
iis contenta observaturum.

9. Inter cætera jurat, servaturum  
Constitutionem 35. Pii V. de non alien-  
andis castris & locis S. R. E. ac Con-  
stitutionem 30. Sixti V. de non distra-  
hendo thesauro reposito in Arce S. An-  
geli, & nunc etiam Constitutionem In-  
nocentij X, editam anno 1644, quod non  
velint ullo sacerdotalis dignitatis, sed solo  
Eminentissimi & Reverendissimi titulo  
uti, nec in Sigillis & insigniis, vulgo ar-  
mis usurpare coronas notasvè sacerdo-  
res, præter eas, quibus intra scutum  
armorum familiæ, tanquam de essentiâ,  
& integritate illorum utuntur. Et post  
hac promittere quoque & jurare debet

se

156 *Imponitur Card. novopileus*

se observaturum novissimè hoc anno  
1692. 10. Cal. Julii ab Innocentio XII.  
editam Constitutionem moderatoriam  
Donationum, & distributionis reddituum  
Ecclesiasticorum in Consanguineos, ve  
affines Romani Pontificis, seu eorum  
loco adlectos, ac præscribentem cau  
telas servandas circa signaturas earum  
gratiarum, quæ aliquando ægrotante Ro  
mano Pontifice per concessum fieri di  
cuntur.

10. Dicto juramento revertuntur eo  
dem, quo venerant ordine ad Consisto  
rium, postremus Cardinalis novus, qui  
genuflectit ante Pontificem; Hic, dum  
à Magistro Cæremoniaram caputium de  
novo attrahitur supra caput Cardinalis,  
accipit galerum rubeum, eumque capit  
ejusdem Cardinalis imponit dicendo:  
*Ad laudem Omnipotentis DEI, & Sancte  
Sedis Apostolice accipe galerum rubrum  
insigne singulare dignitatis Cardina  
latus, per quod designatur, quod usque  
ad mortem, & sanguinis effusionem in  
clusivè pro exaltatione Sanctæ fidei, pa  
ce & quiete populi Christiani, augmen  
to & statu sacro-sanctæ Romanæ Eccle  
siæ te intrepidum exhibere debeas, in  
nomi-*

anno  
o XII.  
coriam  
ituum  
os, ve  
orum  
n cau  
earum  
te Ro  
eri di  
ur eo  
nsisto  
s, qui  
, dum  
m de  
inalis,  
capiti  
endo:  
anct  
brum  
dina  
usque  
min  
, pa  
men  
Eccl  
, in  
romi

nomine Patris &c. quo dicto recipit se  
ad Cameram paramentorum.

11. Novus Cardinalis deposito pileo  
& demisso caputio surgit, expectatque ad  
latus usque dum omnes Cardinales i-  
verint ad Aulam Regiam, ubi consilentes  
in circulo salutat singulos Cardinalis no-  
vus, agitque gratias pro honore & fa-  
vore sibi præstito, qui deinde salute ei-  
dem redditâ discedunt excepto Card.  
Nepote, qui novum Purpuratum de-  
duct secum ad prandium. Interim ga-  
lerus rubeus à Papa collatus defertur  
ad ædes novi Cardinalis à Camerario  
aliquo secreto Summi Pontificis, qui ab  
Aulæ Præfecto ibidem liberali maëstatur  
donario.

12. Habentur deinde Consistoria pu-  
blica, cum introducitur novus Legatus,  
aut Orator alicujus Regis, aut magni Prin-  
cipis ad obedientiam Pontifici præstan-  
dam, aliavè majoris momenti negotia  
in Curiâ pertractanda. Adornatur in  
gratiam Legati bis solennis equitatio,  
cum nimirum ingreditur solenniter Ur-  
bem, & cum ad Consistorium admic-  
titur.

13. Ad primam mittunt Cardinales ex  
aulicis & Nobilibus suis complures  
cum mulis ornatis & ministris, quorum  
unus

158 *Præstant Legati Obedientiam.*

unus gestat in dorso pileum rubrum Cardinalium Domini sui. Pontifex quoque mittit obviam illi pro custodia equites, qui comitatum præcedunt, & Praefectum aulæ, aliosque Prælatos ac familiares, qui Legatum in medio duorum equitantem deducunt ad ædes seu Palatium, quod incolet.

14. Ad alteram deinde equitationem die, quo Consistorium habetur, mittunt pariter Cardinales plurimos è Nobilibus suis, sed sine mulis. Ipsi vero horâ constitutâ conferunt se ad Palatium Pontificium, & Consistorium in habitu consueto, & conformi temporis.

15. Ubi Pontifex & Cardinales in Consistorio congregati sunt, mittuntur duo Cardinales Diaconi, qui recipiant & deducant Legatum. Interim Pontifex signare solet in Consistorio illo publico Commissiones causarum, atque olim etiam Advocati Consistoriales exaggerabant quandoque ex arte & ingenio casus quosdam atroces, quod cum inconveniens visum fuerit, id abrogatum est, & perorat nunc Advocatus aliqui Consistorialis pro Canonizatione cuiusdam Servi DEI, usque dum Legatum adveniat, ne videatur Summus Pontifex & Cardinales solummodo convenisse a

recipiendum Legatum, ejusque tantum adventum exspectare. Idem quoque observari solet in introductione novi Cardinalis, & dum is in Capella præstat juramentum, ne Papa interim in solio otiosus permaneat.

16. Canonizationi Sanctorum præmitti quoque solet unum Consistorium publicum & solenne, alterum semipublicum. Publicum habetur in Aulâ Regia in quo consuetam obedientiam præstant Pontifici Cardinales, & orationem habet Advocatus aliquis Consistorialis de vita & miraculis Sancti Canonizandi. Semipublicum deinde habetur in Aulâ Ducali, cui Pontifex interest cum mitrâ & pluviali simplice, & in hoc Cardinales non præstant Obedientiam. Præter Cardinales intrant hoc Consistorium Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi in Curiâ præsentes, Auditores Rotæ, & Protonotarii participantes aliique Praepati, qui omnes ad suffragium ferendum admittuntur, ut habeat Consistorium hoc speciem quandam Concilii generalis; Quærit enim ex singulis Pontifex an Canonizatio facienda sit, nee ne; Si major pars faciendam judicet decernit Pontifex Canonizationem, & diem qua fieri debet.

17. Præ-

17. Præter Consistoria publica dare quoque solet Pontifex in fine cujuslibet mensis publicam audientiam, cui intersunt nonnulli Cardinales, & omnes Romani Magistratus, in qua tractatur de communi omnium Romæ degentium ac externorum utilitate ac salute. Verum hæc audientia dependet omnino ab arbitrio Pontificis, quando & quoties eam concedere velit.

*Lunadorius in rel. Franc. Sestini il maestro di Camera, Carriere de Rom. Pontif. Corrad. prax. disp. Apost. l. 7. c. 4. De Luca Rel. Rom. Cui. disc. 5. &c.*

## C A P U T IV.

### De Tribunali Vicarii S.Pontificis.

1. *Vicarius Papæ peculiare habet Tribunal.*
2. *Officium Vicarii antiquissimum ab Episcopis ad Cardinales translatum est.*
3. *Dignitas illius magna.*
4. *Et potestas ferè eadem, quæ Pontificis in Diœcesi Romana.*
5. *Jurisdictio ejus hoc tempore extendit se ad ambitum quodraginta solum milliarium.*
6. *Quam etiam exercet in Episcopatibus isto districtu sitis.*
7. *Debetur Vicario Canonica Obedientia, & ad ministrat Sacra menta.*

*S. Coll.*